



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. In genere, bonus, & malus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS IX.

S. THOMAS APOSTOLUS.

PLus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium Discipulorum profuit: quia, dum ille ad fidem palpando reducitur; nostra mens, omni dubitatione positâ, in fide solidatur. S. Gregor. hom. 26. in Evang. Hominem palpat, & Deum vocat. Si mille codices ederet, non ita Ecclesia profuisset. S. Thom. Vill. f. in octava Pascha.

Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Joan. 11. 16. Ecce bonus commilito; qui ad probitatem & socios animat; & velut ignitus carbo alios extinctos nititur facere redivivos; & à mortis pavore jam factus extraneus alios invitet ad mortem. Dignum omnino ratus, omnes milites, si expedit, mortem subire cum Duce; maximè modicam illam catervam, post coelestis Ducis mortem, vitâ judicabat indignam. Propterea omnes hortatur ad mortem,

si ipse mori decreverit. Ac si diceret: quid nobis vita post Ducem? Estne pretiosior vita omnium nostrum, quam Ducis, & Domini omnium? quid eum sequi cunctamur, si vult ad bella procedere: ubi nos non antè præmittit; sed ipse primus vult habere congressum. Magna fidei, & amoris adhesio, erat in Thoma; qui timori mortis repudium dederat; animabatq; socios hujuscemodi timorem abjicere. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Ardentis desiderii erat, non incredulitatis; quòd Condiscipulis suis, qui, ipso absente, Dominum viderant, ait: *nisi videro.* &c. Erat enim valde anxius, nè non & oculus frueretur eò, quod corde credebat. S. Gaudentius tr. de dedic. Basil. SS. 40. MM.

Vide Domini clementiam. etiam pro una anima se ostendit, & accedit; ut salvet eam. S. Chrysost.

TITULUS X.

TIMOR.

§. I.

Timor in genere, bonus & malus.

Tres filii Saulis in Scriptura propriis nominibus distinguuntur. I. Reg. 14. 49. Unus Isboseth, qui etiam erat Filius Saulis, prorsus tacetur, non nominatur. Cur? respondet Lyran. non nominatur Isboseth propter defectum magnanimitatis: quia fuit pusillanimitis, & ineptus ad prælium.

Nolite timere. Matth. 10. 28. Considera, ut quid nobis in natura creavit timere mala carnalia. Non ut mala carnalia timeamus; sed ut, per timorem malorum carnalium, intelligamus; magis timenda esse mala spiritualia. Utpote scis, quia malum est timere dolorem carnis: per hoc intellige, quia pejus est, dolorem animæ pati. Scis, quia malum est, confundi coram hominibus: per hoc intellige, quia pejus est confundi coram Angelis: quantum enim Angeli meliores sunt hominibus; tantò confusio peior illa, quam ista. Sylveira hic.

Peccantes coram omnibus argue; ut & ceteri timorem habeant. I. Tim. 5. 20. Sicut meliores sunt, quos dirigit amor; ita plures sunt, quos corrigit timor. S. August. ep. 50. ad Bonifacium.

Fugitiva est mens subjecta terrori. Ennodius Dictione 1.

Metus Magister est idoneus. S. Gregor. Naz. Procem. de vita sua.

Aqua semper ima petit: & timor ad ima cogitationum deducit, & in inferioribus immoratur; atque loca horrenda, pavida, mente colustrat. S. Bernardus l. 1. D. 1. post. octav. Epiph.

Polyanth. Sacr. Tom. II.

§. II.

Timor peior ipso malo, quod timetur.

Omnis, qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. 14. Putat Hieron. ep. 125. Ambros. l. 2. de Cain c. 20. Chrysol. sic l. 147. Ubi parricidalis cepit terrore vexari, mortem petit: requiem credit, si pereat. Malebat mori, quam semper timere. Quam terribiles minæ! *maledictus eris profugus.* Sed Deus vult illum diu vivere, signo impresso, *ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.* v. 15. Velloso in Judith. 5. Paræn. 22.

Vidimus ibi monstra. Num. 13. 34. Timenibus omnia videntur esse majora & pejora, quam sunt. Abul. q. 53. Non ita res se habebant, ut referebant, sed quia timor res mutat. Sylveira addit. in Matth. 1.

Timuit ergo Elias; & surgens abiit. 3. Reg. 19. 3. Ad minas Jezabelis fugit pavidus: & tamen sub junipero petit animæ suæ mori. v. 4. S. Chrysol. l. 147. melius existimavit mortem succumbere, quam timori. Mori maluit, quam timere. Velloso antè citatus.

At timore inimici eripe animam meam. Pl. 63. 1. Nonne brevius diceret, eripe ab inimico animam meam? dixisset; sed aliò sensu, qui Davidis generositati non congrueret. Si enim sit liber à timore inimici, se liberum ab inimico putat. Plus sæpe nos premit, & conturbat, timor inimici, quam illius gladius. Sylveira in Apoc. 6. 2.

Non timebis à timore nocturno. Pl. 90. 5. Bene dicitur, non timendum à timore nocturno; & non dicitur à morte: quia non ipsa tentatio afflictio est; sed magis timor ipsius. S. Bernardus f. 6. hic.

Hhh hh

§. III.